



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXIII. Cur crucifixus Salvator noster per quinque SS. vulnera sua mundum deperditum voluerit redimere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXIII.
Cur Crucifixus Salvator noster per quinque SS. Vulnera sua mundum deperditum voluerit redimere?

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & livore ejus sanati sumus. Isa. 53. 5.

1.

Num. 18. 16.

S. Vinc. Ferr.
ser. de Purif.

Gen. 2. 6.

Gen. 2. 10.

Can. 2. 1.

Quinq̄ue siclis olim DEus voluit, ut omne primogenitum redimeretur: *Cujus redemptio erit post unum mensem siclis argenti quinque.* Ita fecit B. Virgo, ubi primogenitum & unigenitum Filium suum JESUM in templo Deo Patri obtulit, & Sacerdoti præsentavit, à quo iterum eum redemit juxta legis præscriptum *quinque siclis, pondere Sanctuarii.* Supra quod egregiè S. Vincentius Ferrerius: *Voluit quinque siclis redimi, quemadmodum ipse redemptivus erat mundum quinque principalibus plagis.* En primam rationem, cur piensissimus Salvator tuus te, & totum mundum per quinque SS. Vulnera sua redimerè voluerit: Opretium inestimabile!

2. In paradisi medio *ascendebat fons irrigans universam superficiem terræ.* Sed & quatuor exinde oriebantur flumina: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Landspargius hom. 54. de Pass. Dom. per illum fontem Sacratissimum latus & Cor JESU intelligit, & per quatuor flumina quatuor alia preciosissimi Redemptoris nostri crucifixi Vulnera, manibus ac pedibus ejus inflicta, per quæ universus terrarum orbis redemptus, irrigatus, ac renovatus est.

3. Sponsus ille divinus, candidus & rubicundus (Candidus propter innocentiam, rubicundus propter SS. Vulnera & profusam omnem sanguinem) se ipsum flori campi comparare non abhorruit? *Ego flos campi.* Observat hic S. Dòctor Seraphicus, quòd flos campi quin-

quinque rubicunda gerat folia, & in medio cor ardens, prout sunt: Bonavent.
rosæ sylvestres, & alii plerique campi flores: Ita inquit, & Christus 3. in Resurr.
flos campi quinque sua demonstrat Vulnera ad agrotarum animarum Dom.
nostrarum salutem. Dicitur autem flos campi & non horti, subintrat
hic Quaresmius, quia flos campi, quando apertus est, maximè suum Quaresm. to.
diffundit undequaque odorem, quod non facit flos horti: Ita Domi- 3. c. 10. sect. 2.
nus Iesus in cruce expansus, & monstrans nobis sua SS. 5. Vulnera,
odore infinitæ virtutis redolentia, omnes, quicunque ad vitam æter-
nam sunt prædestinati, ad se trahere solet, prout ipse prius ore pro-
prio prædicere dignatus est: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognos-* Jo. 8. 28
setis, quia ego sum. Et iterum: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia tra-* Jo. 12. 32.
ham ad me ipsum.

4. David à facie Saulis profugus ad Achimelech Pontificem in
Nobe venit, ab eo petens quinque panes propositionis: *Nunc ergo si* 1. Reg. 21. 3.
quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi. Quos quinque panes Da-
vid non tantùm à Sacerdote recepit, sed & illos ad socios suos in loco
condicto ipsum expectantes detulit, quare omnes ex bidui itinere fa-
me & inedia laborantes, ex panibus istis sanctificatis refecti sunt.

Et quid dico? Ipsa Veritas Christus Discipulos suos Sabbato præ
fame vellentes spicas, per hoc Davidis exemplum contra murmur
Pharisæorum defendit, & excusavit: *Non legistis, quid fecerit David, quan-* Math. 12. 3.
do esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes
propositionis comedit?

De aliis quinque panibus refert Scriptura, quibus Christus D.
quinque hominum millia abunde satiavit: *Est puer unus hic, qui habet* Jo. 6. 9.
quinque panes ordeaceos. Et quid dices, quinque isti panes in veteri &
novo Testamento adumbrarunt? R. S. Bonaventura, per quinque S. Bonavent.
prædictos panes quinque Sacratissima pientissimi Salvatoris nostri serm. 3. Dom.
Vulnera fuisse allegoricè præsignata: *Nota, inquit, quòd hi quinque panes,* 4. Quadr.
quinque Vulnera Christi sunt, qui multùm reficiunt animam devotam. En habes,
anime mi, quotidie in SS. Eucharistia hos quinque panes mysticos,
quinque videlicet SS. Vulnera Iesu; ô te felicem! si ea sapius ac me-
lius colueris, ac degustaveris. Audi Thomam Kempenlem: *In SS.* Th. Kemp.
Vulneribus Christi libenter habita: si enim ad vulnera & pretiosa Stigmata Iesu lib. 2. c. 1. de
devotè confugeris, magnam in tribulatione consolationem senties. Imit. Chr.

5. Coacervemus plura de hac utilissima materia argumenta. In
omni lege numerus *Quinarius* ad significanda redemptionis nostræ my- Gen. 2. 6.
steria fuit usurpatus. In lege naturæ & innocentie fons unus, ex quo
quatuor erumpebant flumina ad terram universam irrigandam. (Prout
paulò ante diximus) En quinque fontes, quamvis scaturigine unicus.

Ginther Unus pro omnibus.

Hhh

Ln

16. 19. 18.
Jo. 5. 2.

In lege scripta erant assignatae quinque civitates refugii pro delinquentibus. In lege gratiae celebrantur quinque porticus Piscinae Probatice, in quibus multitudo languentium ob spem salutis corporae morabatur. Mitto plures similes figuras, quae nos admonent, qualem ac quantam fiduciam collocare debeamus in quinque SS. Vulneribus preciosissimi Redemptoris nostri: *Omnia*, ait S. Ambrosius, *habemus cum Christo crucifixo, & Christus est nobis omnia in Vulneribus suis. Si febris astat, fons est, si gravaris iniquitate, justitia est, si indiges auxilio, virtus est, si mortem times, vita est, si tenebras fugis, lux est, si cibum quavis, alimentum est.* Et quid plura requiris anima Staurophila?

Tauskh 1698.

6. Transcramus ad Exempla. Beatam Joannam Ludovici Udecimi Galliarum Regis filiam SS. Virgo & Mater Dolorosa edocuit, ut diebus singulis quinquies Pater & Ave in honorem quinque SS. Vulnerum crucifixi Filii sui devotè recitaret, & eam mentis intentione ac pietate offerret, quemadmodum ipsa stans sub cruce dilectissimum Filium suum quinque hiantibus plagis saucium aeterno Patri pro salute mundi obtulit. En Lector prudens, habes hic praxim saluberissimam.

Vita S. Fran.
Seraphi.

Qualis amator fuerit crucifixi Jesu & 5. SS. Vulnerum ejus S. Franciscus Seraphicus, orbi Christiano notum est, qui relicto omnibus ex consilio Evangelico, nudus nudum secutus est Dominum suum; unde meruit binis ante obitum annis in monte Alverno à Seraphico crucifixo quinque Sacrosancta stigmata manibus, pedibus ac cordato lateri impressa recipere.

Vita lib. 3.
cap. 14.

Venerabilis P. Camillus de Lellis singularis cultor & amator quinque SS. Vulnerum Redemptoris nostri Neapoli anno 1606. à submissiro, dum manè dato campanae signo surgendi à somno per cubilia Patrum diverteret, inventus est in cubili suo in aëra ad tres usque palmos ante devotam crucifixi imaginem elevatus, vultu mirum in modum coruscante, manibus, oculisque in caelum intentis.

In Menolog.
Carmelit. &
Bagatt. lib. 2.
c. 3. n. 13.

7. S. Albertus ex Ordine Carmelitarum, dum ante piam Christi crucifixi imaginem flexis genibus & devotissimo animo suum recitaret Breviarium ac psalmos consuetos, tanto in Crucifixum vulneratum rapiebatur spiritu, ut trium cubitorum altitudine à terra Angelico elevaretur concursu, atque tam diù in illa permanebat extasi dulcedinis, quamdiù psallebat DEO & Amori suo crucifixo. Fini-ta autem oratione, suaviter deiecebatur in terram. O si & nunc Sacerdotes Dei & Religiosi animo tam devoto suas recitarent horas Canonicas! Ignosce Domine fragilitati meae, agnosco culpam meam, & doleo.

8. S. Joannes de Deo Ordinis hospitalitatis & curantium infirmos Fundator, cum iter per regionem Gibraltariæ ageret, apparuit ei Christus sub pueri specie, quem Servus Dei proprio imponens humeri per aliquot itineris spatium portavit, cui Jesus pro labore dono malum punicum dedit cruce signatum, dicens illi: *Joannes Dei Batice tua erit crux: quem Beatissima Virgo spectabilis à præcipitio, à patibulo, à laqueis demonis, & à mortis amaritudine liberavit, quam mortem provolutus in genua, manu & corde Christum Dominum è cruce pendentem perstringens, in osculo Domini & SS. 5. Vulnerum ejus piissimè obiit, cujus corpus post annos viginti prorsus illæsum & incorruptum inventum est, suavissimum efflans odorem.*

8. S. Theresia Virgo, cui Christus coronatus & crucifixus ostensus est, cui Redemptor dixit: *Aspice Vulnera mea, non es absque me: pertransi breviter vitam hujus, cujus pura præcordia ignito transfixit Seraphinus jaculo, quæ Dei æstu mortua, crucifixo Amori tuo sanctam animam suam sub columbæ candidissimæ specie reddidit, quæ in vita sua nil aliud desideravit, quàm illud: Aut pati, aut mori, huic, inquam, Virgini apparuit aliquando Christus, crucem ligneam, quam coronæ precariæ suæ, seu rosario appensam tenebat, secum assumens, paulò post eidem illam reddidit, non amplius in forma lignea, sed quatuor pretiosissimis compactam gemmis, in quibus quinque cicatrices Vulnerum Christi apparebant. Agnosce vel ex hoc, quantum crucifixo Jesu placeat amor & cultus erga SS. 5. Vulnera sua. Imitare hæc exempla, & vade in pace.*

